



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 119. Innocentius Busalo Cardinalis mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. miam instituit, Viris doctrina præstan-
 A. C. 1610. tissimis longe celebratissimam: paupe-
 res peregrinos sæpius invisit, varia eis
 præstitit obsequia, & erogato liberali
 stipendio eorum pedes lavit. Cubabat
 in paleis, cædebat corpus suum flagris,
 & consenescebat in precibus: tandem
 vero calculi doloribus confectus meri-
 torum præmium in cælis recipiebat.
 Corpus ejus ad D. Petri ædem ad Eu-
 doxiæ titulum delatum est, cui etiam
 Ecclesiæ totam suppellectilem suam sa-
 cram legabat.

§. CXIX.

*Innocentius Bufalo Cardinalis
mortuus.*

*Ciacon. l. 6.
 Amyd. in
 vita Sua.*

Alter erat ex Purpuratis, qui hoc an-
 no decesserant, Joannes Bubulus
 seu Bufalo de Cancellariis Nobilis Ro-
 manus, qui stupenda memoriæ felici-
 tate, ac ingenii acie clarus itidem in
 Collegio Germanico Philosophicis ac
 Theologicis disciplinis imbutus, Juris-
 prudentiæ lauream emeruit, atque a
 Sixto V. *Referendarius*, a Clemente VIII.
 Canonicus Basilicæ Vaticanæ nomina-
 tus, Narniensis & postea Bononientis ur-
 bis Prætor, tandem vero Camerinentis
 Antistes creabatur: Agebat quoque Se-
 dis Apostolicæ Nuntium apud Henri-
 cum

cum IV. Galliarum Regem, cujus benevolentia, ac potius meritorum suffragio Cardinalium Collegio a Clemente VIII. anno Christi millesimo sexcentesimo quarto cooptatus est: cum autem hoc Pontifice paulo post fatis functo Bufalus præter purpuram nihil, unde pro dignitate viveret, obtinisset, Paulo V. Successori suam inopiam exponens, ab eo hoc inexpectatum tulit responsum: *Sumptus adæqua censui*, inde vero concepto animi mœrore paulatim contabuit, ac demum die vigesima nona Martii Romæ decessit, sepultus in suæ stirpis Sacello ad S. Mariam in Vico.

Sæc. XVII.
A. C. 1610.

§. CXX.

Hieronymi Pamphili Cardinalis extrema.

Hunc paulo post fato naturæ & fortunæ ferme pari sequebatur Hieronymus Pamphilus, nobilis Romanus, Innocentii X. Patruus, qui Sanctum Philippum Nerium Christianæ pietatis Magistrum faustissima sorte assecutus, in virtutum studio adoleverat, ac sacratioribus literis, præcipue vero jurisprudentiæ deditus tantum fecerat progressum, ut Gregorio XIII. regnante Romanæ Rotæ Auditor in dijudicandis causis præclara scientiæ & integritatis

Ciacon. l. c.
Amyden. in
vita Card.

M m 4 spe